adicciones porquesi
nº 48

Scribere proposui de contemptu mundano,
Ut degentes seculi non mulcentur in vano.
Iam est hora surgere a sompno mortis pravo.
Ad mortem festinamus peccare desistamus.

Vita brevis breviter in brevi finietur,
Mors venit velociter que neminem veretur,
Omnia mors perimit et nulli miseretur.
Ad mortem festinamus peccare desistamus.

Ni conversus fueris et sicut puer factus
Et vitam mutaveris in meliores actus,
Intrare non poteris regnum Dei beatus.
Ad mortem festinamus peccare desistamus.

Tuba cum sonuerit, dies erit extrema,
Et iudex advenerit, vocavit sempiterna
Electos in patria, prescitos ad inferna.
Ad mortem festinamus peccare desistamus.

Quam felices fuerint, qui cum Christo **regnabunt**.
Facie ad faciem sic eum adspectabunt,
Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth conclamabunt.
Ad mortem festinamus peccare desistamus.

Et quam tristes fuerint, qui eterne peribunt,
Pene non deficient, nec propter has obibunt,
Heu, heu, heu, miserrimi, numquam inde exibunt.
Ad mortem festinamus peccare desistamus.

Cuncti reges seculi et in mundo magnates
Adventant et clerici omnesque potestates,
Fiant velut parvuli, dimitant vanitates.
Ad mortem festinamus peccare desistamus.

Heu, fratres karissimi, si digne contemplemus
Passionem Domini amare et si flemus,
Ut pupillam occuli servabit, ne peccemus.
Ad mortem festinamus peccare desistamus.

Alma Virgo Virginum, in celis coronata,
Apud tuum filium sis nobis advocata
Et post hoc exilium ocurrens mediata.
Ad mortem festinamus peccare desistamus.
Vila cadaver eris cur non peccare vereris.



Adolfo Hitler en una alocución en Munich